



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Aqvilegensis Patriarchae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

noluit totiens iterata. Ideoque volumus & mandamus ut has litteras in omnium legi presentia faciatis, & exhortemini clerum ac populum diligenter ne permittant ut Ecclesia Colonienfis & civitas, quæ inter universas Ecclesias & civitates regni Theutonici tam gloria quàm magnificentia est sublimis, enormiter confundatur. Ceterùm si dictus Archiepiscopus maluerit nostris obedire mandatis quàm in hujusmodi contumacia perdurare, ipsum de nostra reddatis gratia certiozem, ex parte nostra firmiter promittentes eidem quod ad honorem suum pariter & profectum taliter dante Domino intendemus quod de nostra poterit gratia merito gloriari. Vnde ut nostrum sibi sentiat patrocinium aliquatenus non deesse, si fortè contra dilectum filium nobilem virum Henricum Comitem Palatinum præfati Regis germanum querelam intorserit coram vobis, vos auctoritate nostra suffulti quod iustum fuerit appellatione postposita decernatis, & faciatis quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quod si non omnes &c. duo vestrum. Datum Romæ apud sanctum Petrum 1 v. Kal. Novemb.

*AQVILEGENSI PATRIARCHÆ.*

*Epist. 114.*

**C**vm in susceptione pallei præstiturus sis corporaliter iuramentum quod nobis & successoribus nostris & Ecclesiæ Romanæ fidelis & obediens semper existeris, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & in virtute obedientiæ districtè præcipimus quod post hujusmodi iuramentum exhibitum & receptum patentes litteras tuo sigillo munitas apostolatu nostro transmittas, in quibus profitearis appetè quod ex debito præstiti iuramenti tam super imperij Romani negotio quàm etiam super aliis nobis secundùm Deum obedire teneris; ut ij qui tam in Theutonia quàm in Italia similem nobis professionem fecerunt, aut is qui pro eo quod talem facere noluit, meruit ab officio pontificali suspendi, non debeant contra nos scrupuloso corde moveri tamquam apud nos sit acceptio personarum, aut in manu nostra pondus & pondus quasi statera dolosa consistat. Alioquin propter inobedienciæ culpam, quæ secundùm Prophetam idololatriæ comparatur, ut de reatu perjuri taceamus, nisi feceris quod præcipimus infra mensem, ex tunc usum pallei tibi noveris auctoritate apostolica interdictum.

*SALZBURGENSI ARCHIEPISCOPO.*

*Epist. 115.*

**F**rustra jacitur rete ante oculos pennatorum, & durum est cuique contra stimulum calcitrare. Nos enim sathanæ non ignoramus astutias, & prompti sumus inobedientiam omnem ulcisci. Dominus ergo sit nobis adjutor, non timebimus quid faciat nobis homo. Maledictus enim homo qui confidit in homine, aut qui carnem brachium suum ponit. Væ autem ingredienti terram duabus viis, quia nemo potest duobus dominis deservire. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentius, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus sacrosancam Romanam Ecclesiam matrem tuam de corde puro & conscientia bona & fide non ficta studeas venerari, pro certo cog-

noscens quod is qui supra se petram suam ædificavit Ecclesiam non permittet ut portæ inferi prævaleant contra eam juxta quod ipse testatur: *Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Erat enim supra petram fundata.* Quia verò semper diligit qui amicus est, & frater in necessitate probatur, tu, amabilis frater, tamquam aurum in fornace te proba; quamvis fornax nondum septuplum quæ succendi consueverat sit succensa, sed in proximo fulgura sint in pluviam convertenda. Datum Romæ apud sanctum Petrum v 1. Idus Maij.

*ARCHIEPISCOPO MAGVNTINO,*  
*Episcopo Cameracensi, & Scholastico sancti*  
*Geronis Colonienfis.*

**V**T Adolphus Colonienfis Archiepiscopus incidat in foveam quam paravit & intret ipsius gladius in cor ejus, pertinax ipsius inobediencia, perjurium iteratum, & proditio divulgata deposcunt. Ipse etenim nec Deum timens, nec reveritus hominem, nec Colonienfis Ecclesiæ dignitatem attendens, in offensam Dei, Ecclesiæ Romanæ contemptum, & sedis suæ dispendium à se obedientiæ jugum excussit, iuramentum semel & iterum præstitum violavit, & eum prodidit quem crearat. Sanè cùm olim carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum coronasset in Regem, & fidelitatis ei præstitisset iuramentum, apud nos multipliciter instituit ut eidem Regi favorem apostolicum impendentes, ratum quod ipse fecerat haberemus. Cùmque multiplicatis intercessionibus obtinisset à nobis ut in favorem Regis ipsius deseremus Ecclesiæ Colonienfis honori, cepit postmodum in ejus devotione tepescere, ac manum suam ab aratro retrahens, occasiones frivolæ invenire ne quod plantaverat irrigaret; quatenus citò atresceret planta ejus, cùm sollicitudinem suam manus ei subtraheret plantatoris. Verùm quia neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus, invaluit nihilominus per Dei gratiam novus palmes; & cùm jam extenderet ramos suos & uberius pullularet, vidit plantator invidus & invidit, & quodammodo in ejus excidium conjuravit. Quia verò nihil est occultum quod non reveletur & absconditum quod non sciatur, sed testimonium veritatis, non potuit occultare diutius virus suum; quia nequam mentem iniqua operatio revelavit, & arbor agnita est in fructu. Commonitus igitur & conventus iterum præstitit iuramentum quod eundem Regem nunquam desereret nec in partem aliam declinaret; sed nec iuramentum stabilire potuit mentem illam, quæ innatæ levitatis vitio fluctuabat. Nos autem, licet non de facili crederemus quod vir tanta præditus dignitate sic esset adversarius sibi ipsi ut quod fecerat intenderet annullare, ne quid tamen sollicitudini nostræ deesset, ad constantiam eum excitare volentes, & monitis & minis institimus apud ipsum & sub quanta ei potuimus districtione præcepimus ut in ejusdem Regis fidelitate persisteret & ad promotionem ipsius

*Epist. 116.*  
*Arnoldus Lubec. lib. 7. cap. 3.*